

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

MEMORIÆ

ILL^mi ET OPT^mi PRINCIPIS, DN. IOANNIS ALBERTI, DVCIS MEGAPOLITANI.

LACRYMÆ

ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS

IVSSV M. RECTORIS EFFVSAE.

ROSTOCHII

EXCVDEBAT IACOBVS LVCIVS

Anno ∞ Ð LXXVI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

MEMORIÆ
ILLmi ET OPTmi PRINCIPIS, DN. IOANNIS ALBERTI, DVCIS MEGAPOLITANI.

RGO ego perpetuas posthac iterabo querelas
Regia fata gemens? ergo mihi carminis vna
Materies lachrymæ? sat iam mea pectora, sat iam
Exhaustas maduisse genas oculosq; rubentes
Credideram: cum Dorotheæ mœstissima nuper
Funera plorassem: sed enim constantia rebus
Quæ sit in humanis, tenui quam pendula filo
Magnatum quoq; vita tremat, nutetq; cadatq;,
Hinc quoq; perspicuum est. nuper dux optimus vnà
Dorotheæ exequijs aderat, sanusq; valensq;:
Nunc iacet exanimis, tumuloq; imponitur ipse.
Hic tenor, hic cursus miseri miserabilis æui est.
Ergo Megalburgæ clarissima gloria gentis
Ioannes Alberte iaces, morboq; grauatum
Nec pietas, nec te potuit pulcherrima virtus
Incolumem seruare tuis? nil vota piorum,

Nil caſtæ valuere preces, gemitusq; profuſi?
Quin tecum nobis bona tot, bona tanta perirent.
Quid prius hic? quid poſterius? quid deniq; dicam?
Quid taceam, attonituſuè querar? crudelia dicam
Sidera? crudeles Parcas? crudelia fata?
Quæ tantum rapuere decus columenq; ſuorum.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Quando ego iam veſtris carmen lacrymabile ripis
Accino ſemianimis: veſtroq; in margine mœſtum
Demittit Roſa mœſta caput: croceiq; capilli
Languore areſcunt: & odor dilabitur omnis.
Largifluas quis enim lacrymas hoc tempore ſiſtat?
Dum princeps generoſa Ducem, quem ardebat amore
Mirifico, gemit, & tumulis iam condit auitis:
Quin fletu & lacrymis pæne exanimata, dolori
Succumbit, nulloq; domat ſuſpiria fine.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ,
Dum proles animoſa ducis, duo lumina gentis
Heruleæ, veterumq; ducum de ſtemmate flores
Magnanimi heroës, patrem fratremq; profuſis
Deplorant lacrymis: dum maximus Vdalricus,
Iampridem veſtri conſtans defenſor honoris
Cum conſorte dolet: ſimul & Megalepolis omni
Dat lacrymas gemebunda loco: dum Balthicus ipſe
Murmurat Oceanus: dum concaua ſaxa querelas
Halcyonum reſonant: ſcopuliq; in vertice cano

Neſcio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

Neſcio quid queruli ingeminant lacrymabile mergi.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Occubuit bonus hic princeps, dux optimus ille,
Quem pietatis amor, præſtans doctrina fidesq́;,
Virtutumq́; decus cunctarum, & principe digni
Ornarunt laudum cumuli: quem docta lycea,
Templorumq́; ſacræ, quem cum doctore cathedræ
Patronum agnouere ſuum: quem muſicus ordo
Protectorem habuit: qui profuit omnibus vnus,
Et nulli, niſi forte ſibi bonitate manuq́;
Munifica, nocuit: tellus quem Vandala patrem,
Cuſtodem pacis placidum, populiq́; ſalutis
Deflet, & interitu tanti ne principis atræ
Immineant clades, patriæ ſtudioſa, veretur.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Nec ſtirpem celebrate ducis, ſat nobilis illa eſt,
Sat celebrata aljs, aliena encomia iactent,
Propria quîs deſunt. non iſtas inclytus vmbras
Gloriolæ, princeps, & quæ non geſſerat ipſe,
Aut iuſto pluris facere, aut laudare ſolebat.
Sed virtute ſua niti, & memorabile nomen
Quærere præclarum vera ratione putabat.
Ergo patre Alberto, matre infans editus Anna,
(Huic genitor Ioachimus erat, celeberrimus ille
Marchio, Cæſarei diadematis arbiter olim)
Muſarum eſt gremio exceptus, caſtæq́; Mineruæ:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

Vbera ei Pietas à primo præbuit ortu:
Ingeßit manſum Bonitas: Clementia cuſtos
Adfuit à teneris: mouit Themis aurea cunas.
Indole cumq; adeo rara puerilibus annis
Conſpicuus foret; hæ pariter, velut agmine facto,
Erudiere animum varia virtute, ſuisq;
Quælibet hunc ſtuduit certatim extollere donis.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Ille ubi floridulas prima lanugine malas
Texerat, Aonium Viadri conceßit ad amnem,
Excolere ingenium, doctosq; audire paratus.
Non ignarus opes animi præſtare caducis
Incertisq; bonis. ſæpe illum candida Phœbe
Dum reliqui ludo indulgent, aut pocula ſiccant,
Inuigilare libris poſita de nocte lucerna
Vidit, & arcanos Sophiæ penetrare receßus.
Sæpe illum ſol eois paulo altior vndis,
Stertere dum multis melli eſt, perdiſcere vidit
Quidquid habent veterum hiſtoriæ; vel Tullius ille
Romani nitor eloquij: quem ſedulus hauſtim
Imbibit, huic ſtudio nec ſeris defuit annis.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Dilexêre omnes iuuenem hunc: tulit ille frequenter
Palladij Dux ſeptra chori. non inſcius illud
Teſtatur Viadrus, docti teſtantur ibidem,
Huic vltro qui iura ſui committere cœtus

Coniun-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

Coniunctis voluere animis. qui dignior illo
Tum foret, in reliquis est nemo repertus, honore.
Interea pater, exemptus mortalibus oris,
Astra petit: legitur princeps in flore iuuentæ
Vnanimi voto, patrij successor honoris,
Egregius princeps, cuius modo funera fusis
Prosequimur lacrymis. ergo ille vmbracula linquens
Musarum, in lucem prodit, populiq; coronam,
Iampridem percepta vsu præstare paratus.
Sed grauia esse solent magnarum exordia rerum,
Difficilesq; aditus primo surgentibus obstant.
Ioannes Alberte tuos sic turbida fasces
Tempestas primo excepit: Sphynx impia quando
INTERIMens passim puræ pietatis honores,
Hic quoq; speratas cuperet sibi figere sedes.
Præterea Læstrigoniæ vis dira caterua,
Iura sibi quæ nata negat, quæq; arrogat armis
Omnia, turbabat crebris hæc arua rapinis,
Rara coercebat censura aut pœna rebelles.
Dux igitur commissa sibi cum sceptra teneret,
Acriter his studuit quamprimum occurrere monstris.
Sphynx citius pulsa est, istas quam inuaderet oras:
Et qui iura alijs iampridem scripta putabant,
Non sibi; legitimis fasces submittere habenis
Compulsi sunt, & domiti. nam principis illo
Tempore, præsidio leges munire foriq;

Iudicia

Iudicia, & motas iuſtè componere lites,
Vnica cura fuit. ſic vis eiecta verendis
Legibus Aſtrææq; locum conceſsit auitum.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Ille idem princeps gnaro cum pectore noſſet,
Non fruſtra coijſſe homines: non agmina caſu
Finitimas habitare domos, vrbesq; tenere:
Sed pietas vt vera ſuos extendere fines,
Alter & alterius poſſet ſermone doceri,
Qua cæli ſe pandat iter ſedesq; beatæ:
Templorum cathedris fidos vigilesq; miniſtros
Impoſuit paſſim: quin ne quandoq; deeſſent
Doctores, aut qui populo virtute præirent,
Adiunxit templis ludos, ludiſq; magiſtros
Præfecit, pueros qui prima elementa docerent
Linguarum, vitæq; darent documenta beatæ.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Ille ille occubuit, cui templa ornata venuſtè,
Bibliotheca etiam variorum inſtructa librorum
Codicibus multum ſeſe debere fatentur:
Quin nunc exanimem veluti deflere putares,
Omnia cum ſolito videas ſpoliata nitore.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Ille ille occubuit, quem veſtra Academia, pridem
Quæ exanimi ſimilis plane deſerta iacebat,
Inſtauratorem agnoſcit, fidumq; patronum.

Hic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

Hic doctos, cum fratre, viros hinc inde vocauit,
Qui linguas artesq; omnes cum laude docerent.
Et Sophiæ arcanas penetrarent mente latebras.
Quos ipse haud raro præsens audire solebat,
Exemploq; suo docilem inflammare iuuentam.
Tum primum Varnus fontis sentire liquorem
Castalij, fluuijsq; suum coniungere nomen
Nobilibus cœpit: tunc isto in litore Pallas
Ducere cum Nymphis ad Phœbi plectra choreas
Primum visa fuit: tum munera vestra propinquas
Implerunt gentes, vrbes, & Balthica regna.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Musæ.
Ille ille occubuit, qui non modo tempore pacis,
Officijsq; togæ, iustis sed & inclytus armis,
Consilijsq; fuit, quæ bella gerenda requirunt,
Si pietas patriæq; salus ea poscerct; acre
Mauricius, belli fulmen, tremor vnus Iberi,
Non negat hoc, consobrino huic qui fœdere iunctus,
Communem patriam, ius relligionis, & ipsam
Libertatem auro potiorem, & vincula pacis
Asseruit bello, auspicijs felicibus orto.
Hoc etenim summo posita in discrimine rerum
Teutonia, & Papæ, & Hispani militis imis
Faucibus erepta est, Passauo & fœdere pacto,
Insperata quies rediit, cui nunc quoq; nostra
Ocia & illæsæ debemus commoda vitæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

Salue magne heros, iterum Dux inclyte ſalue,
Tu bello præſtans, inuictus pace fuiſti:
Principe te patrijs decus admirabile terris
Contigit, æterno quod nunquam abolebitur æuo.
Fundite Varniades lachrymarum flumina Muſæ.
Extollant arces alij, venasq; metallj:
Succineas alijs libeat laudare corollas:
Admirentur opes alij, foſſasq; profundas
Aggeribus cinctas, vicinosq; arcibus hortos:
Nil ea ſunt collata tuo dux optime dono,
Quo patriam bonus ornaſti, gentesq; propinquas:
Pro quo poſteritas ſero comitata nepote
Perpetuas repetet longo tibi tempore grates.
Hæc bona ſunt æterna tuis quæ ſponte dediſti;
Momento tantum illa breui mortalia durant,
Corporeis ſociando bonis, vitæq; caducæ,
Non animo aut menti, mortis quæ ſpicula neſcit.
Salue iterum diuine ſenex, tu regis imago
Siderei, bonitate tua meritisq; fuiſti.
Nam tibi neglectis alijs, cœleſtia primo
Dona propagare, & populis oſtendere Chriſtum,
Conſeruare artes, ludosq; & templa tuerj
Cura fuit. iactent alij, ſe milite cinctos,
Armataq; manu populos, vi regna tenere,
Doctrinam curare nihil: mihi proximus ille
Dilectusq; Deo, & populis quoq; creditur heros,

Exem-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

Exemplis Dux magne tuis ſi motus, & ipſe
Sit ſapiens, Muſisq; libens ſua limina pandat,
Largiter & ſacras accendat honoribus artes.
Non decus eſt aliud non verius ornamentum,
Quam patria aut regio docti ſi principis, vnà
Et Sophiæ & Chriſto placida alcedonia curet,
Doctrinasq; ſacras alijs communicet oris.
Cedite Cecropij, Spartani cedite reges,
Hic alius princeps, qui non mortalia tantum
Dona dedit populo, leges & iura per orbem:
Sed vitæ cœleſtis opes, & gaudia, vobis
Plane ignota tulit. latè quin gentibus idem
Finitimis, vel quos ætas quoq; poſtera mittet,
Muneris eſt auctor tanti: date lilia plenis
Pierides calathis, tam ſancti ad principis vrnam,
Et querulis mœſtas linguis iterate querelas.
Nunc columen veſtrum occubuit, tutorq; fidelis,
Quo viuente animi tantum ſupereſſe ſolebat.
Sed nunc, heu variæ nimia inconſtantia ſortis,
Heu nunc in tenues ſpes illa euanuit auras.
Quando erit vt mitis cœli indulgentia talem
Reddat in orbe ducem? quæ ſidera rurſus in vno
Pectore tam raras cumulabunt aurea dotes?
Hoc pietas, amor in populum, prudentia, virtus,
Magnus in aduerſis animus, mitisq; ſecundis,
Iuſtitia hoc, pudor & grauitas, & larga iuuando

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

Dextera, perpetuas habuere in principe ſedes.
Hoc duce turbatis rediit pax aurea terris,
Pax gemmis potior: creuit reuerentia recti:
Prædonum agricolæ nullas timuere rapinas:
Omnia quid repetam? nihil hoc precioſius ipſo,
Nil melius vidit gens Vandala: perdidit vnquam
Nil melius toto lacrymans Megalepolis æuo.
Scilicet hoc, hoc illud erat, quod turbine nuper
Horrifico celſas rumpi & procumbere turres
Vidimus: hoc hoc illud erat, quod vidimus æthram
Sub noctem ardere, & tremulas diſpergere flammas.
Nec mirum. quin fama meas cum venit ad aures,
Magnanimum cecidiſſe ducem, ſimul omnia mecum
Triſtari & veluti lacrymas effundere ſenſi.
Te viuente, nouis ridebant gramina campis,
Omnia florebant. cantus dulcedine captæ
Ducebant Charites per florea prata choreas,
Carmina non deerant nobis, non plectra ſonora.
Te moriente mori pariter natura videtur:
Deficiunt auido pecori ſua gramina: flores
Rura negant ſolitos: vt nil niſi triſtia fas ſit
Cernere, nec tanto finem ſperare dolori.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Sæpe ego iam veſtras tacitè digreſſus ad vndas,
Mane nouo, tantis quærens ſolatia curis,
Præter lamenta, & triſtes audire querelas

Nil po-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

Nil potui. ferrugineo velatus amictu
Pallidus eois Phœbus surgebat ab vndis:
Excedens ripis, & tamquam fletibus augens
Varnus aquas, pleno currebat tristior alueo:
Ad læuam insueto strepitabat gutture coruus:
Varnigenæ quin quotquot ibi pascuntur olores,
Proxima flebilibus complebant saxa querelis:
Mussabant fulicæ: deserto in litore cornix
Sola ibat, tanquam attonito confecta dolore:
In stabulis armenta boum pecudesq; gemebant,
Graminis oblitæ: argutis in vallibus Echo
Sæpe vocata mihi, sæpe exaudita vocanti,
Iam præter solitum verborum oblita silebat.
Singula quid repetam? nil non lacrymabile vidi,
Nil fletu vacuum. angusto sic pectore tristis
Exieram, tristes repetebam tristior ædes,
Hæc mecum tacitus: mutata quid omnia cerno?
Anne etiam superos defuncti funera tangunt?
Quid portenta volunt? an non aliquando redibit
Qui vigor ante fuit campis auibusq; canoris?
Sed redeat certè, rediturus vt esse videtur:
Sæpe reuiuiscit iam mortua frigore malua,
Annus vbi cum sole redit: sic cernis anethum,
Sic violas, teneraſq; rosas, apiumq; renasci:
Sed simul atq; homines miseros pariterq; potentes
Mors semel abripuit, terrisq; abscondidit atris;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

Tum reditus via nulla patet, tum ducere longos
Cogimur occluso saxi sub fornice somnos.
Sed pietas meliora docet. non corpora casu
Nimirum consumpta mori: diuina voluntas
Hic regit æterna disponens omnia lege.
Nec plane in nihilum, quod nil fuit ante, redire.
Credimus æternæ sperantes gaudia vitæ.
Sic noster quoq; dux, nostro dux optimus æuo,
Sortis tentator variæ, post mille laborum
Multiplices curas, sceptri mortalis honores
Deposuit mandante Deo: nec funere totus
Interijt: superas animus delatus ad arces,
Heroes inter sanctos regesq; triumphat.
Isaides hic psalmographus tibi Carole magne
Iunctus adest: noster proauis dux proximus astat,
Et patri & socero: multi illum lumine claro
Circundant cæliq; nouos gratantur honores,
Cumq; ipso vnanimes mundi deliria rident.
Vertite Varniades lacrymas in gaudia Musæ.
Imprimis patrem geminis complectitur vlnis
Albertus puer illustris, qui præuius arcis
Regna adyt superæ, multum lacrymante Borusso.
Hic ille Albertus, quo se iactabat alumno
Herula gens, hic ille patri matriq; voluptas,
Spes patriæ, magni proles generosa parentis,
Tum fortunati, propria hæc si dona fuissent,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

Quæ tantum Deus oſtendit mox abſtulit olim:
Sed vere iam felicis, cui redditus ille,
Poſt æternùm aderit miro deuinctus amore,
Quem non vlla dies, non fati iniuria ſoluet.
Vertite Varniades lacrymas in gaudia Muſæ.
Ad vos nunc redijt tanta expectatio, tantæ
Laudis honos, ô Heruleæ noua ſidera gentis,
Egregij iuuenes, qui partim funera fratris
Iam gemitis: partim patrem ploratis ademptum.
Hæredes vos virtutum fratriſq; patriſq;
Eſſe decet, quin eſſe patet, ſemperq; futuros
Credibile eſt patriæ, & cunctis quîs patria curæ.
Vertite Varniades lacrymas in gaudia Muſæ.
Inprimis tamen eximij ducis inclyta virtus,
Et bonitas Vdalrici ſenioris, amicam
Solatur patriam, Varniq; inhibere querelas
Incipit, & lacrymis finem ſpondere profuſis.
Aſpicis vt celſo præclara è corpore virtus
Emicet; vt patrio ſumma omnia ſpondeat orbi.
Fallor an è cœlo lætiſſima Seiſachtea
Hoc duce deſcendet, populorum in gaudia nata?
Fallor an Aonidum cultrix Academia, diuæ
Eiuſdem auxilio, ſperato in flore, fruetur?
Chriſte tuum defende ducem, cœptoſq; labores
Dirige, vt illorum nullo laus concidat æuo.
At tu magne heros (quoniam te regia cœli

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

Iam tenet, & coram ſtellas fulgore coruſcas
Mortalesq; vides ſecura è parte dolores)
Æternùm dux clare vale, & ſeu ſidera luſtras:
Seu legis æternos inuicto pollice flores;
Seu celebras ſine fine Deum; en mœrentis alumnj
Carmina, fortaſsis nimium properata, verendos
Vt manes, cineresq; diu teſtentur amatos,
Accipe ſupremum munus: meliora deinceps
Forte & plura canam, quando tibi certa quotannis
Dona feram, tumulosq; tuos mea carmina flebunt:
Cum gemitus Pietas, lacrymas Conſtantia fundet:
Purpureasq; roſas tumulo, ſpicasq; ciliſſas
Inſperget Bonitas: triſtes Pax mœſta cupreſſos,
Et feret euulſos vlulans Clementia crines:
Immemoresq; tui nos nulla obliuia reddent.
Vos vero illuſtres tanto de ſanguine nati,
Alloquio mœſtam placido recreate parentem.
Dicite ſit modus in gemitu, ſuſpiria ceſſent,
Sit lacrymis generoſa parens finisq; querelis.
Non etenim decet hunc fletu lugere perenni,
Cui Deus ipſe omnes lacrymas abſterſit, & inter
Quem ſanctos cœli heroas, diuosq; locauit.

NATHAN CHYTRAEVS
principi laudatiſsimo, & optime
de ſe merito lacrymans F.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

EPITAPHIVM.

NVlli animis, nulli ingenio, nulli arte secundus,
Iustitia multis & pietate prior,
Mente grauis, vultu facilis, dextraq; benignus
Munifica, veri plenus amore Dei,
Musarum columen, legum defensor & æqui,
Et commune sua pro bonitate bonum,
Hic situs est dux Ioannes Albertus, amauit
Quem veluti carum Vandala terra patrem.
Qui ludis templisq; fuit profugisq; patronus,
Viuere qui longo tempore dignus erat;
Multo alijs citius tumulis infertur auitis,
Nec potuit decimam claudere Olympiadem.
Disce hinc quam rapido regum quoq; gloria cursu
Effluat, & vitæ spem melioris habe.

NATHAN CHYTRAEVS. F.

Obijt XII Febr. Anno M. D. LXXVI.
qui fuit gubernationis XXVIII.
AEtatis XLIX.

BVCE.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

BVCEPHALVS.

Bvcephali caput in clypeo cur inclyte monſtras?
Cum boue præſtanti quid bonitate ducj?
Scilicet hæc eadem Cimbrorum gloria Brennus
Regna per Italiæ proſpera ſigna tulit.
Quin eadem Neſtor perituræ ad pergama Troiæ
Signa habuit, præſtans mente manuq; ſenex.
Horum vtriq; animis & dulcis flumine linguæ
Cum par ſis, Herulis gloria prima tuis:
Cur eadem non ſigna tibi dux optime dentur?
Quæ patriæ indicium nobilitatis habes.
Macte animo princeps. fortem tua dextera Brennum
Neſtoreos ſuperet viuida vita dies.

N. C.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]

2121

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2121 4° [35,-175]